

§. 3. *Mors est dissolutio animae et corporis, cuilibet homini ob peccatum semel sustinenda*, de cuius natura philosophi dispiciunt. Signa mortem vel cuiusvis hominis, vel magnorum virorum antecedentia plane sunt incerta, neque vlllo vel Scripturae S. vel rationis humanae, nec saepe historiae fundamento nituntur. Quare affine superstitioni est, quicquid de iis vulgo venditatur. Esse autem *mortem cuilibet homini semel sustinendam, probatur*

*De morte
cuilibet
semel su-
stinenda.*

I. *A clarissima littera, Hebr. IX, 27.*

II. *A quotidiana experientia.* Quando enim nonnulli apud gentiles vel reuixisse visi, vel ex inferis rediisse narrantur, quorum PLINIUS integrum catalogum recenset, id improprie capiendum est. Quo sensu reuiuiscere idem est, ac ex morbo lethali reconualescere, vel ex deliquio animi spiritum recipere, et actionibus animalibus restitui.

III. *Ex natura poenae peccatis debitae.* Pro peccato enim mors homini dictata est, non mortes. Gen. II, 17. Rom. VI, 23.

§. 4. Id tamen de ordinario hominis statu exaudiendum est. Nam *extra ordinem* quosdam homines reuixisse, qui iterum sunt mortui, e Scriptura edocemur. In V. enim nouoque Test. memorantur in hanc vitam vel a prophetis, vel a CHRISTO, vel ab apostolis resuscitati. In ecclesiastica quoque historia plurimi. Sed, quod haec

*Extra or-
dinem
quidam
reuixere.
Ordinarie
post mor-
tem duo
tantum
loca dan-
tur.*

B b b 2

exem-